STATVTA SYNODALIA.


Venerabilium Parisiensium Episcoporum, Galonis Cardinalis, Odonis, & Vvillielmi.

Quibus adiecta sunt, Petri & Galteri, Senonensium Archiepiscoporum Decreta, ex vtriusque Prouinciali Concilio desumpta:

Christianissimi quoque Regis Galliarum, S. Ludouici Pragmatica Sanctio.

Ante annos, paulò plus minus quadringẽtos cõstituta quidem propè omnia, sed nunc primùm tamen edita, & ad venerandæ vetustatis manuscriptorum exemplarium fidem descripta.

Ad Venerabilem & vigilantissimum DD. Ioannem à Breda, Archydiaconum Parisiensem.



PARISIIS,
Apud Michaëlem Sonnium, via Iacobea, sub scuto Basiliensi.
1578.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



VENERABILI ET VIGILANTI D.D. IOHANNI A BREDA Parisiensi Archidiacono, M. de la Bigne, Sacræ Theologiæ Parisien. Doctor, in Christo gratiam & pacem.

PETIS à me (Sacrum & venerandum Caput) dudum à te edita virorum bonorum & prudentum consilio Synodalia statuta, quæ tu in Archidiaconali specula constitutus, rigide ac sincere à commissis tibi Curionibus obseruari cures, vt recognoscam: & si quid in melius commutari, si quid nouum institui, vel antiquum restitui posse iudicauero, id non dissimulem. Feci id equidem vt potui, & quantum per grauiora mea studia licuit mihi, sed non tam citò quàm exoptassem. Spero tamen futurum vt tarditatem illam, huius operis dignitate abũde compensatã existimes. Dũ enim appararẽ appendicem ad sanctorum Patrum nuper editam à me Bibliothecã, & ex vetustis plures accuratissime perscrutarer Bibliothecas, reperi in Bibliotheca Cano-

nicorum Regulariũ Sancti Victoris ad muros Parisienses: hæc, quæ nunc prodeunt auspicijs tuis aliquot venerabilium Senonensium & Parisiensium Episcoporũ Statuta Synodalia, quæ, nunquam hactenus quòd sciam edita, sese, & vetustate & vtilitate cãdidis Lectoribus, vt spero, satis commendabunt. Ea, quæso, vicissim tam in bonam partem accipe, quàm præ cæteris te æqui boníque consuluisse prædicatam illam à me antè hoc quadriennium in Ecclesia Parisiensi Ecclesiasticæ disciplinæ reformationem, amicissimis tuis in me officijs agnoui. Apud tuam Parisiensis Academiæ Sorbonam, 13. kal. Feb. 1578.

Tibi ex animo deuinctissimus & obsequentiss. M. de La Bigne,
Sacræ Theologiæ Doctor.



IN NOMINE SANCTÆ TRINITATIS INCIPIUNT prohibitiones & præcepta obſeruanda ab omnibus Sacerdotibus, data à venerabili Odone Pariſienſi Epiſcopo.

Synodus olim celebrabatur ex toto triduo idque cũ ceremoniis & precibus solẽnibus, quales fere hic deſcribuntur. vt videre eſt apud Iſid. initio primi tomi Conciliorum. & Burchardũ, ad finem Cõcilij Salegunſtadienſis.

De modo & tempore celebrandi Synodum. Cap. I.

Fit Iouis in luce Synodus quæ proxima Lucæ:
Lux Iouis hac replicat tertia Paſcha ſequens.



IN principio Synodi, antequam cantetur Veni creator ſpiritus: quęraturvtrũ pręſentes ſint Abbates & ſacerdotes qui tenẽtur ſynodo intereſſe: Et hoc facto incipiat Epiſcopus alta voce, Veni creator: quo finito dicãtur orationes his precibus præcedẽtibus, Pater noſter: & ne nos, &c. Benedicamus patrẽ, &c. Poſt partũ, &c. Lætamini in domino, &c. Fiat pax, &c. Domine exau-

di orationem meam. Dominus vobiſcum. Oratio. Omnipotens ſempiterne Deus qui dediſti famulis tuis, &c. Actiones noſtras quæſumus domine, &c. Deus qui ſalutis æternæ, &c. Propiciare quæſumus domine nobis famulis tuis per ſanctorum tuorum, quorú corpora vel reliquiæ in Eccleſia præſenti requieſcunt, merita glorioſa, vt corú pia interceſſione ab omnibus ſemper protegamur aduerſis. Infirmitatem noſtram quæſumus domine reſpice, &c. Deus à quo ſancta deſideria, &c. Per dominum, &c.

Finitis orationibus, reſidebunt, & legetur lectio, quà lectà fiet Sermo.

Non omnino præter rem eſſe exiſtimaui, Lector, pro Synodalium Concionum Exemplari, tibi hoc loco eum exhibere qui ſequitur, ante paucos annos in Eccleſia Pariſienſi habitum Sermonem.



FIDE, NOE RESPONSO ACCEPTO, DE IIS QVAE ADHVC non videbantur, metuens aptauit arcam in salutem domus suæ, per quam damnauit & mundum. *Hebr. II.*



QVOD ille nescio quis apud Comicum Eunuchi Prologus, meo sanè iudicio non tam verisimiliter quàm vt sése res habet, eleganter præfatur (Viri christianiss.) Illud ipsum modo vt ex eo ducā ōronis initiū, oportunè sése offert mihi:

Nullum esse dictum quod non dictum sit prius:
Ac proinde æquum esse vt cognoscatis, & ignoscatis,
Quæ veteres factitarunt, si faciam nouus:
Quin & detis operam; & cum silentio animaduertatis:
Vt pernoscatis quid vester sibi orator velit.

ENIMVERO si vspiam *Occidit miseros Crambe repetita magistros*; id in præsenti causa ne eueniat, periculum verò est mihi maximum: Quippè nō toto demū vertente anno, scilicet frequētes etiam propè singulis mensibus, aliarum atque aliarum Ecclesiarum synodi hîc apud nos fiunt;

cina ægritudinem, & reprehensione vitium, si aliquà ratione possit, depelli: Virtutem verò laudibus, & bonã corporis habitudinem, educationis cura facillimè augescere. Et quidem cũ doceat nos orationis huius initio propositum thema, interprete Diuo Petro, Epistolæ prioris 3. Capite, Arcam iustissimi quidẽ patris Noë opificium, sed Optim. & maximi Dei beneficium & inuentum, ipsam totam veluti rerum Ecclesiasticarum faciem, supra quàm vlla pictura possit aspectabilem facere: Ne frustra quòd actum est agerẽ, decreui ex comparatà historià vtriusque (arcam illam diuinam & Christi Ecclesiam intelligo, Audit.) quæ rem præsentem magis attingunt, exhortationis & doctrinæ capita citra cuiusquã assentationẽ vel cõtumeliam, quantùm licebit mihi per temporis angustias & vestrûm omnium beneuolentiam, accurate recolligere. Enimuerò cùm historiæ vniuersim vnusquisque facilè sentiat vim inesse tantam ac talem vt vel inuitus profiteatur præsentem esse in grauissimis animi ægritudinibus medicinam, imprimis si accedat diuinæ prouidẽtiæ religionis plena consideratio, quæ ab historia nunquam abesse debet: omniũ sanè plurimũ, petita è sacris monumentis exempla, & iucunditatis ad audiendum, & ad probandum authoritatis habere solent. Ac proinde vt antiquæ leges panegyricæ iubebant, eos qui in stadio spectandorum athletarum causa locũ cœpissent, nudo & aperto esse capite, perinde atque si & in certamine ipsi versarentur

Sic nos cum diluuio pereuntẽ Orbẽ, & ligni beneficio sarta tectáque Ecclesiæ principia (res planè diuinas & maximas) narrari audimus, tantopere affici commouerique decet, atque si nostra ipsorum res ageretur: ac proinde illas non modò vt præsentes spectare, verùm nostras etiam in iis veluti partes sedulo serióque agere ac tueri. Qua in re vt nostrum vnusquisque magis ac magis officium faciat, & agnoscamus quid spiritualis ædificationis magnifica hæc diuinæ Arcæ constructio cõplectatur: vos quæso (Christianissimi Pastores) supplices illum oratione adeamus, qui solus potest (aït hoc loco Origen.) ab instrumẽti veteris lectione tollere velamen: pro vestra verò pietate ac religione vt cõsueuistis, orationi meæ auxilium præsens è cælo supplicibus animis exoraturi, mecum Angelico elogio Virginem salutate, *Aue Maria gratia plena, &c.*

SACRÆ Philosophię diuina monumẽta cõsiderãtib⁹ statim in ipso limine occurrit (Christianiss. Pastores, & Patres optimi) genus humanũ prima ipsa sua ætate in Abelis & Cayni, vnam scilicet religiosorum, & alteram sine fide, sine pietate hominum duas familias, vel vt diuus Augustinus præclarè appellat, duas Ciuitates discessisse: Non dubium quin ita contrarias in partes abductis & affectis animis, vt vtraque parente suo gloriaretur, cùm in ipsis etiã Ecclesiæ incunabulis adoleuerint aliquando Caiani qui se patre Cayno quem virtus fortior Euæ implexa genuisset, prognatos, Sodomitarum verò, Esau,

Core, Datham, Abyron, & Iudæ cognatos esse gloriabantur, vt meminit Epiph. *1. Lib. To. 3 Hæres. 38.*

Ac pietas quidē initio tum quòd parce ac duriter viueret, tum quòd diu noctúque hostes iuratos haberet qui à religione patriâ desciuerant, acerrime oppugnata fortissime sese partésque suas tuebatur, quoad mundi ætate vixdum septima, capti formæ venustate & cantu, paterna maledictiōe adulterarū Caynidarū (aït Theodoretus) ab ingenita parētū simplicitate in idololatriā & magicas supstitiones, planè vxorii vel poti' libidinibus insani prolapsi sunt, cúmque illis cōsueuissent, susceperūt ex eis gygātes, vel quòd ipso conceptùs momēto intuitæ essent, dæmonū, qui iam tum in homines inualescebant, vmbras terram pede, cælum vertice attingentes, vt Author est qui de testamentis duodecim Patriarcharum scripsit: vel ex ipsis dæmonibus quos immortalium nomine intellexisse Eusebiū nemini dubium esse puto. Ea tam atroci temporū calamitate, vt homines qui pri' virtutē certatim exercuerant, postea duplò maiori studio malitiam consectarentur, fiduciáque roboris, aspernati fas & ius omne, bellum indicerent Numini, vel potius pietati & virtuti, vt interpretatur Euseb. *Euangelica Præpar. Lib. 7. Cap. 3.* Vnvs omniū Noë, græcis Inachus, latinis Ianus, eorum flagitia indigne ferens, vt vitam in melius commutarent continenter adhortabatur. verùm, cùm illos dicto non audientes videret, veritus ne se familiámque suā occidione occiderēt, secessum potius quā sedi-

tionem parare in animo habebat cùm delectatus viri optimi iustitia Dominus Deus, & oraculo præscripsit illi salutis rationem, & illius ætatis hominibus malitiæ extremæ damnatis non abrogauit quidem vitæ longæuitatem vt putant plerique, sed in vicesimum supra centesimum annum, pœnam indixit: nisi resipiscerent maturè, & in rectam redirent viam. At nihilo effecti meliores, miserrimè perierũt: Iustus verò mũdo magis quã sibi natus, per casus varios per mille rerũ discrimina diluuio quidem superstes, sed tam multa perpessus, & cõfectus malis, vt si quis benè subductis omnibus, quam ille in arca vixit vitam secum animo reputauerit, òbstupescat. Isthic enim clausus vt ergastulo, nec aërem spirabat, nec cælum intuebatur. Quibus verò delibutus vnguentis, & tantæ animãtium colluuiònis, & vndique narib⁹ illius imminẽtis bituminis tam tetrũ odorem, & æquoris irati nauseam toto anno pertulit? Qua arte oculorum iacturam effugit in tantis tenebris, tam effusè illachrymatus ob huius Vniuersi excidionem, vel ex pietate quæ viris bonis multa inesse solet, vel ex eo quòd cũ homo esset, humani aliquid alienũ fuisse ab illo non est putandum? Qua arte arcam illam suam inter atrocissimas tempestates, & tam vasta pelagi spatia regebat, sic prudẽter & fæliciter, vt aquarum vi tanta, neque iacturam coactus, neque naufragium faceret miser? non enim ausit dixisse quispiam, nondum illi præeunte à tam multis ætatibus fide digni testis alicuius

authoritate, formam habuiſſe nauigij, vt arte aliqua regeretur. Et quidem qui nauigant, velis & remis vtuntur nautæ, alij ſcandunt malos, alij per foros curſitant, alij ſentinam exhauriunt, gubernator omnium ſapientiſſimus clauum tenens, in puppi ſedet quietus, fluctuúmc ue inſaniam, vt machera Gordium nodum aſtutè diſcindit: Vectores interea enecãtur metu, ſéque digito vno minus a fati faucibus abeſſe icti ſapiũt, attoniti exclamant, ea demũ vna re ſibi dimidio pl' reuixiſſe viſi, ſi altiſſimorũ quorũcúmque mõtiũ vel ſumma cacumina, vel procul fumantiũ villarum culmina, eminus licuerit proſpexiſſe: At noſter hic non arca illa ſua iucunde magis quã ſepulchro concluſus, nihil quòd præſentẽ ex animo ægritudinẽ vel tantiſper leuaret, nihil quòd illum meliora iuberet ſperare, ſed exanimatas metu quatuor mulierculas collachrymãtibus tribus liberis: denique plena pauoris, luctus, & calamitatis, plena deſperationis omnia. Quæ difficultatum capita ſi liceret ſingula ad noſtri ſenſûs amuſſim explorare, quinam locus tot animaliũ, ſuis veluti loculis generatim reconditorum, capax fuit? quippè ſi ad geometricos Origenis cubitos recurras, duobus vel amplius milliaribus longam arcam illam fuiſſe colligitur, quòd vix ſimile eſt vero: quòd ſi populariter illam metitur Moſes, in iis anguſtiis vbi repoſiti commeatus qui in integrũ annum eſſent ſatis? Quódque omniũ difficillimũ intellectu arbitror, vnde aqua ad explendam ſitim? vel ſi abunde ſuppete-

ficationibus isthic latere: tam multiplicia etenim rei gestæ signa ad Ecclesiæ Christianæ Prophetiam non pertinere, nisi fuerit contentiosus, nemo permittitur opinari, quippè gentiles ita iam totam impleuerunt Ecclesiam (aït ille) mũdíque & immũdi quoad finem ad extremum & certum perueniatur, sic vnitatis illius quadam veluti cõpagine continẽtur, vt ex hoc vno quòd manifestissimũest, etiam de cæteris quæ aliquãtò obscurius dicta sunt, & difficilius agnosci queunt, dubitari fas non sit: Hactenus Augustinus. cui quòd accedant partim ætate anteriores, partim posteriores omnes omnium veterum sententiæ, qualis illa est diui Cypriani, epistola, 74. Pompeio fratri, de baptismo hæreticorũ: 75, ad Firmilianũ, eiusdem argumenti cõtra Stephani epistolam, tum & libro de Spiritu sancto, & in Epistola ad Nouatum, & libr o de Ecclesiæ vnitate: vnus in præsentia nobis futurus est satis Abbas Ioachim qui ecclesię Christianæ mysteria, ex diuinę arcæ illius arcanis edoceat. Arcam Noë esse matrẽ Ecclesiam, catholicis omnibus notũ est, (aït ille di.2.2.lib. de concordia vet. & noui testamẽti) ea præcipitur fieri de lignis leuigatis, quia leues esse debent à seculi oneribus, qui tam innumera hominum genera seruaturi sunt à diluuio: varias habet mansiunculas pro speciebus animantium diuersis, coniunctis tamẽ quantum ad arcæ vnitatẽ, plures enim sunt electorum ordines in vno Ecclesiæ corpore & vna Christi fide, vniti pacis vinculo & iuncti charitatis bi-

tumine, tam intrinsecus quã extrinsecus, interioris quippè hominis affectus exteriori proditur, alioqui euanescit: animãtiũ pars lõgè maxima iustè damnata, minor misericorditer saluata: & Abbas quidem hactenus. Ille verò si vestrã audiendi sitim fortè nondum expleuit, cætera perstringam paucis: Ac primum quidem & arcæ illius opifex Noë, à salute futura habuit nomen: Christianæ verò Ecclesiæ fundamentum, lapis angularis, Architectus, denique omnia Christus Iesus quia saluum esset facturus populum suum à peccatis, eorum diuino responso nomen istud suum saluatoris assequutus legitur. Mat. 1. quòd multis etiã antè illum ætatibus imperãte Salomone Abdias Prophetico spiritu sacerdotibus cum Christo in Ecclesia regnaturis fecerat commune. Noë non nisi responso accepto, arcã manu & lingua ædificauit. Sic & Christus non clarificauit semetipsum vt fieret pontifex sed qui loquutus est ad eum, Nec quisquam in Ecclesia Christiana sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. VTERQVE ad sui ædificii structurã adsciuit plures cooperarios, ille quidem ex impotẽtia tres liberos, ac præterea magnum operarum numerũ, quem inundantibus diluuij crudelissimis fluctibus nihil tum illos iuuante quòd arcam salutarẽ, vel mercede vel ridentes ædificauerant, internecione deleuit arcæ contemptæ vltrix Nemesis: Christus quoque ex beneuolẽtia plures veritatis cooperarios. Sic enim illũ sequutus diuus Iohannes loquitur epistola 3. primùm Aposto-

Apostolos, deinde aliquos alios ad septuaginta, postremò autem plures Prophetas, Euangelistas, Doctores, & Pastores, in ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circunferamur omni vento doctrinæ. Et quidem illorum ex ordine primus Iudas, quin & plurimi illi qui extremo die Christo dicturi sunt, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, (qui autem prophetat, dei Ecclesiam ædificat) & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Ipsi vicissim horrendum illud ac terribile à Christo responsum audituri, Amen dico vobis, nescio vos: Annō existimandi sunt naufragium circa fidem fecisse (sic enim loquitur Apostolus) & longè magis, quã diluuio, periisse crudeliter? Admirabilis verò vtriusque arcæ structuram (priusquã ad illius oeconomiam veniamus) paululum intueamur: Trecentorum cubitorum, aït scriptura, illius erat longitudo, quæ sacrosanctæ Trinitatis, quã Ecclesia catholica tam religiosè profitetur, summam in vnitate perfectionem mysterio consecrauit, aït Cyrillus Alexandrinus libr. 3. comment. in Genes. Dictum benè. quinquagĩta, erat altitudo: qui numer', Chrysostomo, Sacramentum pœnitentiæ demonstrat. Postremo autem cubitorum triginta erat latitudo, ne quis triginta annis minor tabernaculũ sacrificaturus ingrederetur, quòd ea ætate ad Ægypti principatum euectus sit Ioseph (ait Origen.) nec iunior Christus ad baptismum accesserit. Iã

Ephe. 4.
1. cor. 14.
Mat. 10.
1. Timot. 1.
Orig, Homil. 21. in Num.
Homel. 14. in Marc.
Homil. 2. in Gen.

& illud obſeruandum ſedulo diuinam illam Noë ſtructuram, arcæ quidem partes omnes, ſed nauigii nullos numeros habuiſſe: non vela, remos, auchoras, non puppim, ſentinam aut proram, non bene inſtitutos ad nautica negotia vel nauarchum aliquẽ, vel nautas: ſed hominem agricolam, vomeri & ligoni cognitum magis quã pelago, illum comitante muliercularum, liberorum, & animalium imbelli turba, in qua noſtrum vnicuique iam licet, illa eccleſiæ Chriſtianæ columnia, piſcatores Apoſtolos à Chriſto vt
Matt 10. oues in medium luporũ, ad Eccleſiæ chriſtianæ ſtructurã, emiſſos, ſine auro, argẽto, pera, tunica duplici, calceamentis & virga intueri. Lupi tamẽ licet inſaniant, quantumlubet altũ ſapiant prophani, & hæreticorũ tempeſtates nauiculam huc atque illuc impellant, diſceſſurus eſt tamen è pugna ſuperior & illuſtris magis ſanctiſſimus Noë, quẽ in ARCæ ipſius ſede ſumma, aſſidẽtibus tribus liberis & coniugibus conſidentẽ, Illumque totũ nutu nauticum Olympum tremefacientem ſpectare, quàm plenum eſſet humanæ fœlicitatis & religionis diuinæ, intelliget ſtatim quiſquis in Eccleſia Chriſtiana inſpexerit Pontificem maiorem vel minorem cui cum diœceſanis & parrochis conueniat quàm optime: quòd ei procul dubio euenturum eſt, qui non iracũdus nec turpis lucri cupidus, non litigioſus, non percuſſor, cohabitantium ferarum patienter perferre potuerit conuictũ. Ita tamẽ vt ſi quis intus in Eccleſiæ arca lateat Cham, nudatum ex animi per-

turbatione patrem irridens (vt omnis improbus, aliorum lapsus, & si quid sapienti præter propositum acciderit, non solum pro sui erroris solatio accipit, verumetiam perinde atque si ipse peccata sua emendauerit, impense lætatur, aït Ambrosius) ex arca protinus in pelagus, præceps deiiciatur: ea tamen lege & conditione, vt magis procliue sit ecclesiasticæ arcæ Præsulis ingenium ad lenitatē quàm ad iracundiam, ne exulceratis animis, feræ in arca latentes illam, aliqua parte, erūpēdi animo suffodiant: Vultis dicam? Pax sartam tectamque arcā Noë tuebatur, Ecclesiam quoque proculdubio seruatura, nisi nimium perdite, sanguine Christi amplissimum illud emptum peculium dilapidauerimus. Demum arca Noë, vno minor est quā Ecclesia, quòd illa quales exceperat bestias, tales emittebat, lupum lupum, vulturem vulturem, serpentem serpentem: Christi verò in Ecclesia lōge aliter se res habet: lupos enim, oues efficit: vultures & serpētes in columbas commutat (aït Chrysostomus) non permutata quidem natura, sed explosa malitia.

Lib. de Arca & Noe. cap. 30.

Proœm. 1. Enarrationum in Is. prophetam.

QVÆ, vt ministrantibus nobis in Ecclesia sua continēter exequi dignetur Opt. & Max. Deus, per Christi viscera, per sacra omnia vos obtestor, (venerandi patres) responso accepto Ecclesiæ arcam ingrediamur, supplices ab illo petamus vt animalia quàm multa in arcam adducant illi administratorii spiritus missi propter eos qui capiunt hæreditatē salutis. Semel recepta, salubriter pascamus: & fide, metuentes reprobis reseruatas

Hebr. 1.

die iudicii extremo pœnas in vinculis æternis, in illorũ & noſtrã ſalutẽ ædificemus. Sic enim mũdꝰ ex bona noſtra cõuerſatione dãnatus nõ habebit ſupplicii participes, ſed noſtram omniũ ſalutẽ ſapiẽter fœlicitérque ædificauerimus in nomine Chriſti Ieſu, cui laus honor & gloria, in ſecula ſeculorum. Amen.

Hactenus Sermo Synodalis: Odo verò deinceps.

Finito ſermone licẽtiabit Epiſcopus laicos & ſcholares, & alios clericos qui non debebunt ſynodo intereſſe. Hoc facto legantur præcepta Synodi. His expletis, dicãtur capitula quæ ſunt addenda & in fine diſtricte præcipiatur vt ſeruentur à ſacerdotibus. Deinde ſequuntur preces pro neceſſitate locorum, & perſonarum.

Diſtirctè præcipitur ſacerdotibus vt ieiuni intrent ſynodum: in ieiunio enim debet fieri & oratione.

[Diſtricte præcipitur vt induti albis & ſtolis intrent ſacerdotes Synodũ illam quæ celebratur tempore paſchali: illam verò quæ fit Septẽbri ſuperpellicijs tantum & ſtolis.

Prohibetur ſacerdotibus ne cauſas adducant ad ſynodũ aut aliqua negotia quæ non pertinẽt ad quoſdã, & ne ſibi tunc * minuatur, cũ debẽt Synodo intereſſe prohibetur.

** Venam aperiri faciat quiſpiam ad ſanguinẽ eliciẽdũ prætexta morbi vt fortè crimina alicuius conſc: abſens Synodo, contumaciæ non damnetur.*

[Præcipitur diſtrictius vt omnes presbyteri, maxime curam animarum habentes veniant ad ſynodum:& ſi graui infirmitate detenti, aut alia neceſſitate ineuitabili venire non potuerint, ſuum capellanum mittant aut clericum loco ſuo.

[Præcipitur vt in eundo & redeundo à Synodo, honeſtè ambulent presbyteri, & honeſta quærant hoſpitia, vt in eis circumſpectè ſe habeât, ne ſtatus clericorum vertatur in contemptum & opprobrium populo. Præcipimus in virtute Domini noſtri & Dei, & obedientiæ, vt honor maximus & reuerentia debita ſingulis ſacramentis ſanctæ eccleſiæ præcipuè à ſacerdotibus & clericis exhibeantur & vt laici ſimiliter exhibeant in quantum ſacerdotes moneant eos & exhortentur.

Capitula baptiſmum tangentia.

Baptiſmus cum reuerentia & honore celebretur & cum magna cautela ſub hac forma. N. Ego batizo te, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. & caueat maxime in diſtinctione verborũ & in prolatione, in quibus tota virtus cõſiſtit ſacramenti & ſalus puerorum : ſ. N, Ego baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Et in 1.

Romano ſub eadem forma doceant frequenter ſacerdotes, laicos baptizare debere pueros in neceſſitate: patrem etiam & matrem, in ſumma neceſſitate. & poſt inundationem ea facient ſacerdotes pueris, quæ ſolent fieri poſt immerſionem.

2 Pro baptiſmo nihil oĩno ante exigatur: ſed poſt, laudabilis cõſuetudo exigi poteſt.

3 Fontes ſub ſera clauſi cuſtodiãtur propter ſortilegia. Chriſma ſimiliter & ſacrũ oleum ſub claue ſeruetur.

4 Semper ſacerdos interroget laicum diligẽter, cùm in neceſſitate baptizauerit puerum, quid dixerit & quid fecerit. Et ſi inuenerit laicũ diſcretè & modo debito baptizaſſe, & formam verborum in Romano integrè protuliſſe, approbet factũ: ſinautem, baptizet puerũ modo debito. Et hic eſt modus: Petre ſi es baptizatus nõ te rebaptizo, ſi non es baptizatus ego baptizo te, &c.

5 [Ad eleuãdum paruũ de fonte, tres ad plus recipiantur, ꝙ enim amplius eſt, à malo eſt.

Capitula de ſacramento Confirmationis.

1 SAcerdotes frequẽter moneant populum ad Confirmationem puerorum.

2 Poſt baptiſmum debet ſuſcipi ſacramentum Confirmationis.

[Quod si confirmandus adultus fuerit, 3
confiteatur prius,& post ea confirmetur.
Sępe dicatur laicis ne expectēt diu,ad cōfir 4
mandū pueros,aduentū Episcopi: sed ducāt
eos ad eum nisi adesse audierint prope : &
quod possint nomina mutari pueris si velint in Cōfirmatione,aut si visum fuerit expedire. [Nullus sacerdos confirmare aut 5
consecrare virgines presumpserit: solius Episcopi est confirmare , Virgines consecrare,Ecclesias dedicare , Ordines dare.

Capitula de Sacram. altaris.

SVmma reuerentia & honor maximus sa- 1
cris altaribus exhibeatur, & maximè vbi sacrosanctum Corpus Domini reseruatur, & Missa celebratur.[Linteamina altaris & 2
indumenta sæpe abluantur , ad reuerentiā &præsentiam saluatoris nostri,&totius curiæ cælestis quæ cum eo præsens adest quotiens Missa celebratur. [Calices quibus in- 3
firmi communicantur,decorentur & mūdi custodiantur,vt deuotius communicēt infirmi. [Ampululæ vini & aquæ in ministe- 4
rio altaris mūdæ& integræ habeantur:similiter ampululæ Chrismatis & olei sancti.
Non permittant presbyteri, diacones (cō- 5
minatur Episcopus eis qui hoc non seruāt)

deferre infirmis ſacroſanctum Corpus Domini, niſi in neceſſitate cùm ſacerdos abſens fuerit: ſed ſemper ſacerdos cum magna reuerentia & maturitate *deferat* In pixide eburnea bene clauſa, propter caſum, & cum lucerna præcedēte, cantātes * ſeptem pſalmos pœnitentiales cum letania pro infirmo, eūdo & redeūdo: ſi longa via fuerit, addāt quindecim pſalmos, & alias orationes: ſi enim debitū perſoluūt infirmo, & audiētes inuitant ad exhibendam Deo reuerentiam & honorē, & orationem.
6 [Frequenter moneantur laici, vt vbicunque viderint deferre corpus Domini, vt ſtatim genua flectant, tanquam Domino & Creatori ſuo, &
7 iūctis manibus quoaduſq; trāſierit orēt. [In pulchriori parte altaris cū ſūma diligētia & honeſtate, ſub claue ſacroſāctū corpus Do-
8 mini cuſtodiatur. [Nulli Clerico permittatur ſeruire altari male ornato, ſeruato inmaiori Eccleſia, vt niſi in ſuperlicio aut cappa
9 clauſa. [Nullus bis in die Miſſā audeat celebrare, aut cū duplici introitu, niſi in magna
10 neceſſitate. [Nullus antequam matutinas dixerit canonicas, & Primam, preſumat aliqua neceſſitate celebrare Miſſam. [Ad ho-
11 ras beatę Virginis, ſemper tertius verſus dicatur, capitulo vt obſeruat H. S. *Maria ma-*

** Sacerdotē intelligit cū comite Clerico, & alijs quotquot aderunt.*

ter gratiæ, & cantentur in Ecclesia cum nota & deuotione, vel in regendo ac caluẽdo.

Capitula de Confeßione.

Sacerdotes circa confeſsionem maximã 1
curam adhibeant & cautellam: ſcilicet, vt diligenter peccata inquirant: vſitata, ſigillatim: inuſitata, non niſi à lõgè per aliquam circunſtãtiam, ſic tamen vt ex peccatis detur materia confitendi. [Ad audiendum 2
confeſsiones, communiorem locum in Eccleſia ſibi eligant ſacerdotes, vt communiter ab omnibus videri poſſint: & in locis abditis, aut extra Eccleſiam nullus recipiat confeſſiones, niſi in magna neceſſitate vel infirmitate. [In confeſſione habeat ſacer- 3
dos vultum humilem, & oculos ad terram, nec aſpiciat vultum confitentis (maxime mulieris) cauſa debitæ honeſtatis, & patienter audiat quæ dixerit, in ſpiritu lenitatis, & ei pro poſſe ſuo pluribus modis perſuadeat. vt confiteatur integrè: aliter enim dicat ei nihil valere.

Inceſtum faciens, deflorans, aut homicida
Pontificem quæras: Papam, ſi miſeris ignem,
Sacrilegus, patris percuſſor, vel Sodomita,
Si percuſiſti clericum, Simon vefuiſti.

Sacerdotes maiora reſeruent maioribus,

in confeſſionibus[!], ſicut homicidia, ſacrile-
gia, peccata contra nautam, inceſtum, &
ſtupra virginum: iniectiones manuum in
parentes, vota fracta, & huiuſmodi.
6 [Sunt tria in quibus nullus habet po-
teſtatem abſoluendi, niſi dominus Papa vel
eius vicarius, niſi in neceſſitate: ſcilicet in
iniectione manuum in clericos, vel quoſuis
religioſos, in incendio, per quam ſentẽtiam
ſunt vocati Simoniaci: nihilominus tamen
7 talium rei, remittendi ad Epiſcopum. [In
dubijs ſemper Confeſſor conſulat Epiſco-
pum aut ſapientes viros, niſi ex neceſſitate,
quorum conſilio certificatus, ſoluat ſecu-
rius aut liget, maxime prælatos ſuos.* [Au-
8 dita confeſſione, ſemper Confeſſor inter-
roget confitentem ſi velit abſtinere ab om-
ni mortali: aliter verò non abſoluat eum,
nec iniungat ei pœnitentiam, ne inde con-
fidat, ſed moneat vt iterum faciat quicquid
boni poterit, vt Deus cor illius illuſtret ad
9 pœnitentiam. [In iniungendis paruis pœ-
nitentijs ſibi caueant ſacerdotes, ſecũdum
enim qualitatem culpæ & poſſibilitatem
confitẽtis debet eſſe qualitas pœnitentiæ,
alioquin quod minus eſt requiretur ab eis.
10 *Cum furto raptus, cum fœnore Symones actus,*

** videlicet conſulat.*

De ſic poſſeſsis,eleemoſina non fit ab ipſis.

In furto , rapina, vſura , fraude ſibi valde 11
caueant ſacerdotes:[non alias iniũgant pœ-
nitentias, ſcilicet Miſſarum, eleemoſina-
rum, & huiuſmodi priuſquam reddiderint:
non enim tale dimittitur peccatum,niſi re-
ſtituatur ablatum . [Nullus Miſſas quas in- 12
iunxerit celebret , nec tricenarium nec
annuale , & pro minus nullus triennale &
quinquennale.[Frequenter preſbyteri mo- 13
neant ad confeſſionem, & præcipuè ab ini-
tio Quadrageſimæ inſtãter præcipiant ve-
nire generaliter ad confeſsionẽ.[In confeſ- 14
ſione,caueãt ſibi Confeſſores, ne inquirant
nomina perſonarum cum quibus peccaue-
rint confitentes, ſed circunſtantias tantum
& qualitates :& ſi confitens indicauerit,ar-
guat eum Confeſſor, & ſecretum illud te-
neat ſicut confitentis peccatum . [Nullus 15
ira,vel odio, vel etiam metu mortis in ali-
quo audeat reuelare cõfeſsionem ſigno vel
verbo vllis,generaliter vel ſpecialiter:vt di-
cẽdo,Ego ſcio quales eſtis.Et ſi reuelauerit,
abſq; miſericordia debet degradari. [Om- 16
nes præcipiant inſtituta ieiunia ſeruari , vt
ieiunium Quadrageſimæ, quatuor tempo-
rum, vigiliarum, niſi ex magna & rationa-

bili causa contra fiat, & sextæ feriæ: ex debito enim tenentur facere talia ieiunia.

Capitula circa matrimonium.

Cap. 1. Matrimonium cum honore & reuerentia celebretur, nec cum risu & ioco, nec cõtemnatur, etiamsi secũdæ & tertiæ fiant: & antequam fiat, semper tribus Dominicis aut tribus festiuis diebus æquè distantibus quasi tribus edictis, perquirat sacerdos à populo, sub pœna excommunicationis, de legitimitate sponsi & sponsæ qui debent coniungi, & ante fidem datam de contrahendo matrimonio: & ante hæc tria edicta, nullus audeat aliquo modo matrimonia

2 celebrare. [Prohibeant firmiter laicis, per excõmunicationem, sortilegia fieri: malefici quoque, & celantes consanguinitatem, & alia impediméta matrimonij, votum, ordinem, consanguinitatem, affinitatem, disparem cultum, compaternitatem, quæ tantum quatuor à matrimonio excludit personas: compatrem, commatrem, filiolum, &

3 fratrem & sororem spiritualem, scilicet filium vel filiam patrini.* [Nullus sacerdos audeat perficere matrimonium in casu dubio, inconsulto Episcopo, sed ad eum semper referat omnes matrimonij dubietates,

* *Hic deest* Excommunicati publicẽtur.

ſi opus fuerit.[Prohibetur diſtrictè ſub pœna ſuſpenſionis, ne vllus ſacerdos aut capelanus exigat aliquid ante benedictionem nuptialem, ſiue pro teſtimonio ferẽdo, ſiue pro matrimonio celebrãdo, occaſione ferculorum quæ debentur pro nuptijs: celebrato autem matrimouio, recipiat fercula ſua,& exigat ſi neceſſe fuerit,ſicuti conſuetum eſt. 4

[Prohibeat ſacerdos in Eccleſia, publicè, ſub excommunicatione, nè alter coniugum tranſeat ad religionem,aut recipiatur niſi per Epiſcopum. 5

De ſacramento Extremæ Onctionis.

Cap. 1. Cum reuerentia deferatur oleum ſanctũ ad infirmos, & eos vngant ſacerdotes cum magno honore, & orationum celebritate quæ ad hoc ſunt ordinatæ, & nihil inde penitus exigatur,ſiue à paupere, ſiue à diuite. Sed ſi quid gratis datum ſuerit, gratis accipiant.

2 Ad ſacramẽtum Extremæ Onctionis moneant populum Sacerdotes, non tãtum diuites & ſenes, ſed pauperes & iuuenes omnes, à tempore diſcretionis, maximè à quatuordecim annis & ſupra, & ad omnes communiter vt ſe paratos exhibeant cùm neceſſe fuerit.

** Infirmi quomodo viſitãdi & admonendi ſint. vide Conc. Nãnet. cap. 4.*

Cap. 3. Doceant frequenter populum huiuſmodi ſacramentum licitè iterari,

& sæpè recipi, scilicet in qualibet magna infirmitate vnde metus est mortis: & post susceptum, licitè reuerti ad opus coniugale, cum qui conualuerit de infirmitate.

4 Librum qui dicitur Manualis, habeant singuli sacerdotes parrochiales, vbi continetur ordo seruitij Extremæ Vnctionis, Catechismi, Baptismi, & huiusmodi.

5 [Habeát singuli canones pœnitétiales, & ordinariú Officiorú Ecclesiæ, secúdú vsum & modum qui seruatur in Ecclesia maiori.

6 Moneantur sacerdotes ne testamenta sua ordinent per manum laicalem, & ipsi frequenter prohibeant laicis ne sua testamenta faciant sine præsentia sacerdotis, dicat, Episcopus quod non faciant eis in vnú. *Locus hic corruptus est, & deest quidpiam.*

Hic incipiunt communia præcepta Synodalia.

Cap. 1. PRæcipitur Sacerdotibus, vt omnes reditus & possessiones Ecclesiæ scribant in Missalibus suis, & prohibetur penitus presbyteris & parrochianis, ne de his quæ sunt Ecclesiæ aut presbyteri, alienent ab Ecclesia, nisi per consilium Episcopi.

2 Prohibetur districte, ne pro interragio corpus sepeliri differatur, sed post sepultu-

ram exigant laudabiles consuetudines: Idem dicimus de similibus.

Quicunque reædificauerit in cymiterio, excommunicetur, si principalis pars domús per se cæciderit. 3

Tribus diebus continuis vocetur excommunicandus, & nisi ad iustitiam se obtulerit, & fidem dederit quod veniet ad diem sibi assignatam, ac diem aduersario nunciauerit, excommunicetur: & excommunicatus nullo modo absoluatur, nisi à maiori, præterquã in articulo mortis, & tũc tamen data cautione, quod stabit iudicio Ecclesiæ. 4

Presbyteri super citationibus faciendis, credant his qui dederint fidem: sed super excõmunicationibus faciendis non credãt sine literis. Sentẽtias audacter ferant, latas districtè seruent, vt citius quam sententiæ deficiant, nemini parcentes, aut timore aut amore, nec pro absolutis eos habeant, nisi eis bene constiterit. 5

Mortuæ in partu, scindantur si infans creditur viuere: tamen si bene constiterit de morte earum. 6

Sacerdotes audito parrochianorum suorum obitu, statim absoluant eos cum psalmis pro defunctis, & collecta. 7

8 Item inhibetur ne faciant designationes Ecclesiarum in manu Abbatum, vel quorumlibet patronorum, sed in manu Episcopi vel prælati sui.

9 Non permittantur prædicatores super arcas celebrare, nec pulsare campanas per vicos, nec loqui in Ecclesijs, nec præsentare reliquias, sed tantùm deferant ferenda, & sacerdotes pro illis loquantur.

10 Exhortentur populum semper presbyteri ad dicendam orationem Dominicam, & Credo in Deum, & Salutationem beatæ Virginis.

11 Moneant semper populum, & maximè mulieres, nè faciant vota sua nisi cum magna deliberatione, & assensu virorum, & consilio Sacerdotum.

12 Nullus Sacerdos vel Capelanus teneat in domo sua aliqua occasione mulierem, nisi sit mater aut soror, aut talis de qua visum sit Episcopo, quod careat omni suspicione inhonesta.

Prohibetur penitus vniuersis Sacerdotibus ludere cum decijs, & interesse spectaculis vel choreis assistere, & intrare tabernas causa potandi & sine amictu, scilicet Cappa vel palio vel superliceo & comite clerico,

clerico vel laico intrare domos alienas, aut
discurrere per vicos & plateas: & nè habeát
cappas alatas & vestes inordinatas, omnino
prohibetur.
13
14 Nullus clericus vel regularis accipiat decimam de manu laici, nisi per manum Episcopi.
15 Nullus clericus fide iubeat Iudęo vel fœneratori, nec obliget pro pignore aliquo modo, ornamenta Ecclesiæ vel libros, Iudæo.
16 Nullus recipiatur ad prædicandum, nisi sit authentica persona, vel ab Episcopo vel Archidiacono missus.
17 Nullus clericus faciat iusiurandum antequam fuerit Episcopo præsentatus.
18 Frequenter moneantur laici, vt non retineant decimas quas in periculum animarum suarum detinent.
19 Nullus clericus potest sibi retinere decimas iure hæreditario possessas, sed autoritate Episcopi possunt clerici fructus recipere, ita tamen quod semper laborent, & quod ad Ecclesiam reuertantur.
20 Die Dominica præcedenti Synodum sacerdotes qui capellanos non habent in suis parrochijs, semper inquirant publicè in Ec-

clesia si qui sint infirmi in parrochia, & tertia sequenti die visitent eos si aliqui fuerint infirmi, etiam nō requisiti,& faciant quicquid fuerit ad salutem animorum, nè mora quá facturi sunt in Synodo, fiat occasio periculi: eorum nihilominus tamē etiá saluti procurantes prouisionem quàm solent facere per Capellanos vicinos qui remanent & Diaconos proprios.

21 Sacerdotes die octauo semper renouent sacramenta ad fontem benedictum,oleo & crismate,& sanctam Eucharistiam,nè vetustate aliqui ad indeuotionem moueri valeant aut errorem.

22 Si negligentia euenerit, vt perlecto Canone & peracta consecratione, nec vinum nec aqua reperiatur in calice, debet statim infundi vtrumque, & sacerdos reiterabit consecrationem ab illo loco canonis, *Simili modo postea quam cœnatum est*, vsque ad finem: ita tamē vt illas duas cruces obmittat, quas singulariter fecit super panem. Quod si de simplice vino, vel de aqua sine vino fiat consecratio, vinum reputatur pro sacramento,sed aqua non reputatur: & ideo ista negligentia de aqua posita sine vino, maior & maiori pœnitentia emendáda est.

Si quid ceciderit de ſanguine Domini 23
ſuper corporale, reſcindēdū eſt ipſum corporale, & in loco reliquiarum obſeruandū: ſi pala altaris inde tincta fuerit, reſcindenda pars illa, & pro reliquijs ſeruanda. Si ſuper infulá, caſulam, vel ſuper albam decurrat, ſimiliter fiat. Si ſuper quodlibet veſtimentum, comburenda eſt pars illa, & puluis in ſacrarium reponendus eſt: ſi verò in terram ceciderit, lingenda eſt terra: ſi in ipſum ſanguinem muſca vel aranea, vel aliquid tale ceciderit, quia non ſine vomitu & periculo corporis *, eſt tergendus, & radendus locus ipſe ſiue lapis ſiue lignum, ſiue terra, & puluis in ſacrario reponendus.

*Deeſt, lingi poteſt.

Porrò ſi in ipſum ſanguinem, muſca vel 24
aranea, vel aliquid tale ceciderit, quia non ſine vomitu & periculo corporis aliquando ſumi poteſt, igne cremandū eſt, & tunc ſanguis Domini ſumatur, illud tamen quod intus ceciderit, prius debet in calice vino perfundi, & quātò cautius fieri poterit ablui, & poſtea ſuper piſcinam comburi, & illam ablutionem Sacerdos ſumat: quod ſi de corpore Domini ſuper pallam altaris aliquid ceciderit, vel ſuper quodlibet aliud veſtimentum, non incidatur, ſed vino ab-

luatur, & à miniſtro ſumatur vinum ipſum: quod ſi in primo datum reijcitur, pro vt diligentius poterit, recipiat, & coniunctum cum vino in calice ſumatur, ſed integrum ſumi non poteſt, eo quod ore alterius proiectum eſt.

25 Reus autem huius neglig ẽtiæ, & qui cum eo particeps fuerit culpæ, competenti ſubiaceat diſciplinæ: ſi autem ſupra lignum vel lapidem ceciderit, modus ſupra dictus de ſanguine Domini, tenendus eſt.

26 Prohibetur ſacerdotibus, ne nimis feſtinent venire Pariſius occaſione Synodi, & ne magnam faciant morã ſeſe viſitando & refiiẽdo tam in via quàm in ciuitate: quidã enim iter arripiũt à præcedenti Dominica, vel à die lunæ ſummo mane, & moram faciunt vſque ad ſequentem Dominicã, & magnũ imminet periculum ſaluti animarũ.

27 Diſtrictè precipitur, vt quilibet Sacerdos habeat in celebratione Miſſæ, propter munditiam veſtimentorum circa, altare, vnum manutergium.

28 Præcipitur preſbyteris, vt cum in Canone Miſſæ inceperint, *qui pridie* tenentes hoſtiam, ne eleuent eam ſtatim nimis altè, ita quod poſſit videri à populo, ſed quaſi ante

pectus detineant, donec dixerint, *Hoc est Corpus meum* : & tunc eleuent eam vt possit ab omnibus videri:& post talem susceptionem tam Corporis quam Sanguinis,& vini puri,aliquantum ab expuendo abstineant: & si abstinere non possunt,in piscinam hoc faciãt suauiter & vrbanè:vinum autem potius rubeum ministretur in calice, propter similitudinem albi vini cum aqua.

Prohibetur districtè sacerdotibus, ne ha- 29
beant secum prolem quam in sacro ordine susceperint propter scãdalum : & ne in suis domibus habeãt sachos & aleas vel decios, omnino prohibetur.

Prohibetur districtè sacerdotibus, ne ac- 30
cipiant gageras vel admodiationes, nisi de decimis, quoniam esset species negotiationis:& ne habeãt in paliis suis pecias nisi blaui vel nigri coloris.

Similiter præcipitur præsbyteris, quod 31
immobilia de bonis Ecclesiæ acquisita Ecclesiis suis tantúmodo legent (nam de iure aliud facere non possunt)de mobilibus verò suis,rationabile faciant legatum.

Item præcipitur Sacerdotibus, vt fre- 32
quenter Dominicis diebus & aliis festiuis diebus,in aliqua parte Sermonis proponát

Prohibeant ſacerdotes, ne fiant Choreæ, 36
maxime in tribus locis, in Eccleſijs, in Cimiterijs, & in Proceſſionibus.

Prohibeant Sacerdotes per excommunicationem, & maxime tempore vindemiarum ſingulis diebus Dominicis, ne aliquis Chriſtianus retineat apud ſe marchũ vindemiarum quem Iudæi calcant, aliquomodo, propter illam horribilem immũdiciam quam in contemptum Sacraméti Altaris faciunt: & ſi remanſerit, detur porcis vel expandant ad opus pro fimo. 37

Prohibeant per excõmunicationem ſæpe, ne carnifices permittant Iudæos laniare carnes ſuas, niſi totum detineant Iudæi. 38

Item diſtrictè præcipitur preſbyteris ne hoſtias licet non ſacratas dent pueris vllo modo, & inhibetur ne celebrent ſine caligis. 39

Item prohibetur diſtrictè, ne Sacerdotes cultellum portent cum cuſpide, nec clerici eorum. 40

Item diſtrictè prohibetur Sacerdotibus, ne permittant prædicare aliquos ignotos, ſiue literatos, ſiue illiteratos, etiam extra Eccleſiam, ſiue in vijs ſiue in plateis, ſiue in alijs locis parochiæ ſuæ: & ſæpe de Domi- 41

nicis diebus Sacerdotes moneant, & etiam ſub pœna excommunicationis inhibeant parrochianis ſuis, ne tales audiant propter pericula hæreſeûm, & errorum quos ſeminant.

42 Item diſtriɑ̃è præcipitur preſbyteris, quod moneant parochianos ſuos & parochianas, quod prouideant eccleſiæ Pariſienſi, quæ multum indiget albis & ſtolis, & toallis, & huiuſmodi.

43 Item moneãt ſolicitè & aſſiduè parochianos ſuos, vt in Albigenſes hæreticos ſe accingant, & iterũ eandem habebunt indulgentiam quam aliâs habuerunt.

44 Item moneant presbyteri ſub pœna excommunicationis, omnes illos qui crucem habuerunt, & votum ſuum non ſunt proſecuti, quod crucem ſuam & proponant reſumere, & portent.

45 Item præcipitur omnibus preſbyteris, quod excommunicent in generali omnes illos qui fecerunt conſpirationes contra preſbyteros ſuos, vel contra Eccleſias ſuas.

46 Item præcipitur presbyteris, vt cum aliquis confitetur eis ſe fidem dediſſe alicui mulieri de matrimonio contrahendo cum ea, & poſt fidem datam cognouit eam, non

dent ei licentiam contrahendi cum alia, quoniam ſequens carnalis copula cum illa cui fidem dedit, matrimonium confirmauit.

Item diſtrictè præcipitur presbyteris, & 47
ſub excommunicatione, ne aliquos matrimonio clandeſtino coniungant vel benedicant.

Item excommunicentur omnes illi qui 48
facient ſe coniungi clandeſtino, aut benedici, & omnes illi qui intereſſe preſument Sacerdotes.

Item præcipitur presbyteris, vt quotiens 49
dubium erit quando aliqua ieiunia vel proceſſiones inſtitutæ fieri debent, ſicut in feſto ſancti Marcj, petant a Decano loci, & ſine eius conſilio ea facere non preſumant.

Item præcipitur presbyteris, vt quando 50
mulieres poſt puerperium veniunt ad purificationem, dent eis tantummodo panem benedictum, & Corpus Domini eis nullomodo propinent, niſi expreſſè petant, & prius confeſſæ fuerint.

Item moneant presbyteri parochianos 51
ſuos in Confeſſionibus, & in prædicationibus ſuis, vt ſaltem ſemel in anno, peregri-

bent facere, quia cùm decesserint, fiet similiter pro eis.

Item districtè præcipitur presbyteris omnibus, quod excommunicent ter in anno, scilicet in Pascha, in Natiuitate Domini, & in festo Ecclesiæ, omnes illos qui scienter celant feuda Pariss. & omnes illos qui sciunt super hoc aliquid, nisi illud reuelauerint Parisiensi Episcopo, vel eius mandatario. 58

Item præcipimus singulis presbyteris, quod annuatim, idque in crastino sanctæ Trinitatis, Anniuersarium omnium cōfratrum beatæ Mariæ, per totam Parisiensem Diocesim celebretur. 59

Pręcipimus vt moneātur nō Iudęis prestare rotas, secundū quod præceptū est, alioquin cōpellantur per excōmunicationem. 60

Constitutio Galonis Cardinalis.

De Translatione Galonis siue VVallonis à Beluacensi Episcopatu ad Parisiensem, Vide Iuonis Carnotensis Epistolam. 132. ad Paschalem. Pont. Rom.

IN nomine Domini, nos Galo, miseratione diuina sanctæ Mariæ in porticu, Diaconus Cardinalis, Apostolicæ sedis Legatus, excommunicamus omnes Sacerdotes & clericos quoscunque, qui post legitimā ammonitionem, Focarias vel mulieres 1

alias,de quibus mala ſuſpicio ſuboriri poſſit, in domibus proprijs vel alibi, vnde populus vel Eccleſia ſcandalizetur, duxerint retinendas, niſi ſint clerici qui in minoribus ordinibus legitimè cõtraxiſſe probentur,qui cum vxoribus eccleſiaſtica non debent beneficia retinere. Moneantur quoque,ne matres vel vxores, aliáſve coniunctas perſonas ſecum habeant: cum quibus etſi nihil ſæui criminis fœdus naturale exiſtimari permittat tamen frequenter ſuggerente diabolo, cum talibus noſcitur fuiſſe facinus perpetratum.

2 Perhibemus etiam ſub eadem excommunicatione, ne ſacerdotes vel clerici occaſione alicuius conſuetudinis, pro baptiſmo, ſepultura, benedictione, alijſve ſacramentis Eccleſiaſticis, aliquid exigere vel extorquere preſumant; ſed ea liberaliter & ſine difficultate ſtudeant canonicè miniſtrare: moneantur tamen laici diligenter ne quod pro reuerentia ſacramentorum deuotio fidelium introduxit, ex auaritia velint aliquatenus reuocare.

3 Item & prohibemus, ne Sacerdotes de cætero cappis manicatis vtantur, & conſtituti in ſacris Ordinibus, manicas conſuti-

tias,ſotulares roſtratos, veſtéſque rubri coloris habeant, diſtrictione conſimili prohibemus.

Decanis quoque, Archipreſbiteris & Archidiaconibus, ne veſtes rubri coloris, vel virides habere preſumant: & ſpecialiter Archidiaconibus & præpoſitis qui habent curam animarum, ne cappas foratas habeant manicatas. 4

Monachi etiam vt cappis ſumptuoſis & non nigris de cætero non vtantur, ſub eadem pœna duximus inhibendum. 5

Inhibemus etiam omnibus tam clericis quam monachis ſub excommunicationis vinculo ne fœnus exerceant, & ne aliquam negotiationẽ exerceant inhoneſtam, prohibentur indiſtincte. 6

Vt autem ab omnibus in tonſura, habitu & conuerſatione, honeſtas eccleſiaſtica conſeruetur, diſtrictè præcipimus vniuerſis Prælatis, ſub atteſtatione diuini iudicij, firmiter iniungentes, vt omnia ſupradicta obſeruent: & quantum in ipſis fuerit, faciant à ſubditis, monitione premiſſa, per cenſuram eccleſiaſticã inuiolabiliter obſeruari. 7

Volentes autem (quantum cum Deo & honeſtè poſſumus) magiſtris & ſcolaribus 8

deferre eatenus ea ipsos regorē, si quis est nostræ constitutionis duximus temperandum, vt antequam periculū excommunicationis periculum incurratur, ammonitio generaliter fiat per magistros, & comminatio excommunicationis in transgressores: quibus præmissis, si qui fortè contumaces & rebelles extiterint, Iterum & nominatim sub eadem comminatione & in scholis moneantur, indulta nihilominus ad satisfaciendum dilatione competenti.

9 Quod si fortè nec taliter resipiscere voluerint, extunc per Cancelarium qui pro tempore fuerit, excōmunicati denunciētur, & tandiu ab omnibus euitentur, donec satisfecerint competenter, & ab Episcopo si fuerit præsens, vel eo absente ab Abbate sancti Victoris, cum forma Ecclesiæ, fuerint absoluti.

10 Præcipimus autem magistris in virtute Spiritus sancti, vt prædicta omnia (excepto tamē necessitatis inexcusabilis articulo) diligentius exequantur, ne per negligentiam vel malitiam aliquorum nostræ constitutionis autoritas contemnatur.

Explicit constitutio Galonis Cardinalis.

Additiones VVilielmi Pariſienſis Epiſcopi.

PRæcipitur presbyt. vt clericos cuiuſcũ- 1
que ſint ordinis, in parrochia ſua commorantes, moneant, quod tonſuram congruentem, & honeſtum habeant habitum iuxta Canones,& ſi alicui in hoc inobediẽtes vel rebelles fuerint, monitione præmiſſa,ab ingreſſu Eccleſię arceantur. Quod ſi aliquis de huiuſmodi pręſumptoribus tãtæ ſit poteſtatis, quod ſine ſcandalo, à presbytero, prædicto modo cohercerinon poſſit,Epiſcopo nuncietur.

Prohibetur ſacerdotibus ne mercata fre- 2
quentent, ſed ſi ex aliqua cauſa neceſſaria, eos ad mercata ire oportuerit, in habitu honeſto incedant, & quam breuiorem poterunt,ibi moram faciant.

In mercatis, non faciant commeſſatio- 3
nes,nec etiam alibi.

Prohibetur ſacerdotibus,ne officium ad- 4
uocationis exercere preſumant, niſi fortè in cauſa Eccleſiæ ſuæ, vel pro miſerabilibus perſonis, pupillis & viduis parochianis ſuis quibus honeſte deeſſe non poſſunt, & hoc abſque præcij receptione, præter expenſas moderatas.

Presbyteri vno die Miſſas duas non cele- 5

confitentibus, quod omnia ablata, antequam teſtamentum vel legata faciant, plene reſtituant.

Præcipitur quod presbyteri parochia- 10
nos ſuos qui tribus Dominicis continuis ſe ab Eccleſia ſua abſentauerint ſine cauſa iuſta & neceſſaria, inter dicant, & ad Epiſcopum mittant interdictos: militibus diſcurrentibus defertur.

Præcipitur Sacerdotibus, quod diligen- 11
tes & ſolliciti ſint in monẽdo parochianos ſuos de eleemoſynis & legatis ad fabricam Eccleſiæ beatæ Mariæ faciendis, & legata fideliter quærant, & reſeruent: ſcribant etiam nomina eorum qui legauerint, & ad Epiſcopũm ad Synodum afferant, & ſic eis appareat qui fuerint in hoc diligentes & negligentes.

Presbyteri in Eccleſijs frequenter de- 12
nuntient eos qui matrimonia clandeſtina contrahunt & qui eis faciendis aſſiſtunt, eſſe excommunicatos.

Præcipitur quod commodationes Car- 13
rucarum, quæ fiunt in feſtiuis diebus, qui-

14 Præcipitur quod in celebratione Missarum, quãdo Corpus Christi eleuatur, in ipsa eleuatione vel paulò ante campana pulsetur, sicut aliàs fuit statutum, vt sic mentes fidelium ad Orationem excitentur.

15 Presbyteri iniungant parrochianis suis, quod quando matrimonium inter aliquos erit contrahendum, illi qui debent contrahere, confiteantur, ob reuerentiam sacraměti, peccata sua presbyteris suis, priusquã fidem præbeant de contrahendo, vel saltem antequam contrahant per verba de præsenti.

16 Presbyteri verò tunc soliciti sint de inquirendo, maxime super impedimentis matrimonij.

Ex Concilio Petri Archiepiscopi Senonensis.

1 STatuimus, vt Aduocati iurent de calumnia de cætero, in causis tam inchoatis quam inchoandis, aut non admittantur ad eas tractandas.

2 Si aliquis per annum & diem excommunicationem publicam sustinuerit, compellatur potestas secularis, vt excommunica-

tum ad vnitatem Eccleſiæ per ſuam pote-
ſtatem venire compellat, mittẽdo manum
in ipſum & res eius.

Statuimus, ne Prior, niſi conuentualis, 3
vltra ſummam quadraginta ſolidorum ab
aliquo, ſine licentia Abbatis ſui, vel Epiſco-
pi ſui ſi remotus fuerit Abbas, mutuò pe-
cuniam accipiat: quod ſi fortè fecerit, abij-
ciatur à Prioratu, nec denuò valeat Priora-
tum adipiſci, quoúſque per Cõcilium Pro-
uinciale fuerit reſtitutus.

Eidem pœnæ ſubiaceat Prior, qui quam- 4
cunq; ſummam pecuniȩ receperit à Iudȩo.

Statuimus, vt Abbates, Priores, & alij O- 5
bedienciarij, de ſingulis prouẽtibus & red-
ditibus & expenſis, computent ſingulis an-
nis diligenter in Capitulo. Et vt ſtatus tam
Abbatiarum quam Prioratuum, à Clauſtra-
libus cognoſcatur, Compotus in ſcriptis
redigatur ita quod Conuẽtus pœnes ſe re-
tineat vnum ſcriptum, & Abbas aliud.

Nullus Abbas mutuò recipiat pecuniam, 6
ſine Capituli ſui, vel maioris & ſanioris par-
tis Conuentús licentia, vltra ſummam ab

7 Prçcipimus Abbatibus & alijs Religiosis, vt ipsis vestibus & calceamentis ordini suo congruẽtibus vtantur: Et si Abbates in his obseruandis seu corrigendis fuerint negligentes, per Episcopos suos puniantur.

Ex Concilio Galteri Archiepiscopi Senonensis.

1 STatuimus, vt Abbates & Priores cõuentuales, qui nec venerint * necse excusauerint pretendẽdo Canonicũ impedimentum, per octo dies ab ingressu Ecclesię suspendantur, & pœna, quantum ad hoc Conciliis statuta est, sub comminatione maioris pœnę si alijs annis, supra his, culpabiles inueniantur. *

* *Videtur deesse.* Ad Synodum.

* *Videtur deesse.* Multentur.

2 Propter scandala grauia quę ex Monialium conuersatione proueniunt, statuimus de Monialibus nigris, ne aliquem dispositum (*forte, aliquod depositum*) recipiant in domibus suis ab aliquibus personis, nisi de licentia Episcopi sui: maxime arcas clericorum vel laicorum, custodiæ causa, minime permittant apud se deponi.

3 Item communiter omnes in Refectorio comedant, & in dormitorio dormiant, nisi

ex causa iusta & necessaria, de licentia speciali Abbatissæ, aliter fieri permittatur.

4 Item cameræ Monialium omnes destruãtur, nisi aliqua quæ in susceptione Episcopi necessario retineatur, vel ad Infirmariã faciendam, vel alia de causa quæ Episcopo iusta & necessaria videatur.

5 Item quod Moniales nullatenus exire permittantur, vel extra pernoctare, nisi ex magna causa & rarò, & Abbatissis iniungatur ne aliter egredi permittantur: & si aliquando Abbatissa ex causa iusta alicui permittat, eidem iniungat quod sine mora reuertatur.

6 Ostia suspecta & superflua obstruantur, circa hoc autem Episcopi diligentiam adhibeant & curam, per se & per ministros suos, & vitas & conuersationes ipsarum restringant, vt per eorum diligẽtiam, scandala quæ in præsenti de vita earum proueniunt, sopiantur.

7 Statuimus, vt omnes Iudices tam ordinarij quam delegati, temperent se & refrenẽt à generalibus excommunicationibus, nec

8 Moneantur Capitula ſecularium perſonarum, maxime Cathedralia, vt ipſi conueniant & ordinent & tractent, quod in Eccleſijs ſuis die & nocte, per ſe & per clericos Eccleſiarũ, diuinum ſeruitium aſſiduè, competenter, ſecundum numerum inſtitutorum & facultatem eccleſiarum celebretur, & circa ſeruitium diuinum diligentiam & curam adhibeant efficacem, ita quod modus habendi ſe in Eccleſia, tam in Choro quam extra, euidenter & ſufficienter vbi emendatione opus erit, emendetur infra annum.

9 Moneantur etiam Canonici & clerici ſeculares, quod ipſi, in habitu ſuo & alijs, præcepta tradita in generali Cõcilio, fideliter & obedienter obſeruent.

10 Statuimus vt in locis ſiue Prioratibus, vbi conuentualis congregatio ſolet eſſe, ſi facultates illius Eccleſiæ ſuppetant, Conuentus ibidem reſtauretur.

11 Item quod in domibus ſiue locis vbi ſolebant eſſe Prioratus, ſi facultates locorum ſufficiẽt, Monachi vel Canonici regulares ad diuinum ſeruitium ibidem celebrandum, reducantur.

12 Monemus Abbates & Priores conuen-

tuales, quod tot ſeruitores in Abbatijs & Prioratibus ſibi ſubditis inſtituant, ſi ad hoc ſufficiant facultates locorum, quot ibi deſeruire ſolent, & ne penſionem ſiue cenſum ab eiſdem exigant, quam non ſolent exigere ab antiquo, niſi fortè alicui ex iuſta cauſa ab Epiſcopo ſuo permittatur.

Statuimus quod Clerici ribaldi, maxime 13
qui vulgo dicuntur de familia Goliæ, * per Epiſcopos, Archidiaconos, Officiales, & Decanos Chriſtianitatis tonderi præcipiantur, vel etiam radi ita quod eis non remaneat tõſura clericalis, ita tamen quod ſine periculo & ſcandalo iſta fiant.

* *Fortè vt hodie dicũtur Lutetiæ ſicarij, filij de Matta.*

Item antiquum ſtatutum Concilij pro- 14
uincialis rurſus renouantes præcipimus, quod quãdo aliqua terra propter delictum domini terrę vel Balliuorum ſuppoſita fuit interdicto, nullatenus relaxetur donec ad arbitrium & moderamen relaxantis, preſbyteris parochialibus de damnis & de perditis Interdicti occaſione illatis plenèſu erit ſatisfactum, vel de ſatisfaciendo cautum.

74

S. Ludouici Galliarum Regis Christianissimi pragmatica Sanctio.

LVdouicus dei gratia Francorum Rex, ad perpetuá rei memoriá. Pro salubri ac tranquillo statu Ecclesie regni nostri nec non pro diuini cultùs augmento & Christi Fidelium animarum salute, vt que gratiam & auxilium omnipotétis Dei cuius soli ditioni atque protectioni regnum nostrum semper subiectum extitit, & nunc esse volumus, consequi valeamus: Quæ sequntur, hoc Edicto consultissimo in perpetuum valituro statuimus, & ordinamus.

1 Primò vt Ecclesiarum regni nostri, prælati, patroni, & beneficiorum collatores ordinarij, Ius suum plenarium habeát, & vnicuique sua Iurisdictio debite seruetur.

2 Item Ecclesiæ cathedrales & aliæ regni nostri, liberas electiones, & earum effectum habeant.

3 Item Symoniæ crimen pestiferum Ecclesiam labefactans a regno nostro penitus eliminandum volumus & iubemus.

4 Item promotiones, collationes, prouisiones prælaturarum, dignitatum, vel alio-